

in *Lavellen.*, in qua, die 16 Junii 1668, ead. sacra congregatio Concil., audita relatione episcopi *Lavellen.* inhærendo declarationi ejusdem sacrae congregationis, sub die 13 Novemb. 1660 emanata, censuit « non posse funeralibus, in vitis hæredibus, interesse, nec licite taxam ad suum libitum facere, sed eidem episcopo injungendum, prout injungit, ut, auditis partibus, taxam conficiat, eamque sacr. congr. probandam transmittat. »

(7. Taxam ab episcopo statutam in sentis sex pro constructione sepulchri in ecclesia esse augendam arbitrio eminentissimi præfecti, respondit sacra congregatio Concil., in *Spoletana*, Sepulchrorum 24 Augusti 1709.

(8. Taxam seminario solvere tenentur parochi, beneficiati, confraternitates cæterique omnes in taxa facta de anno 1653 per clar. mem. cardinalem Rapacciolum episcopum, et cogendi sunt pro terminis decursis et decurrendis, quacunque appellatione suspensiva, et quibuscunque inhibitionibus Urbis non obstantibus. Sacr. congr. Concil., in *Interamn.*, Taxæ Seminarii 11 Maii 1720.

(9. Taxa Innocentiana prohibet parochis, confessoribus aliisque ministris accipere discum, aut aliud vas, in quo oleum sanctum fuit repositum pro extrema unctione ministranda. Sacr. congr. Concil., in *Senogallien.*, 23 Maii 1710, ad 2, ubi quod neque a sponte dantibus accipi potest, et in *Albanen.*, 20 Januarii 1723.

(10. Taxæ seminarii est subjectum beneficium B. M. V. erectum in cathedrali Veliterna, ac per Sixtum V unitum collegio S. Bonaventuræ Urbis. Sacr. congr. Concil., in *Veliterna*, Taxæ seminarii 12 Apr. 1723.

(11. Taxa ceræ adhibendæ ab hæredibus circa cadavera defunctorum statuenda, et ab ordinario, auditis interesse habentibus, transmittenda est ad sacram congregationem. Sacr. congr. Concil., in *Nullius seu Montis Cassini* 26 Januar. 1726 ad 8.

(12. Taxa Innocentiana servanda est in omnibus curiis, etiam extra Italiam. Unde sacr. congreg. Concil., in *Vasionen.* Taxarum synodali, quæ præscripta erant contra dictam taxam Innocentianam ad dubium: « An taxæ præscriptæ in synodo diœcesana Vasionen. sint observandæ, et executioni mandandæ in casu, etc., sub die 6 Februar. 1734. Respondit *Negative*, et amplius.

(13. Taxa cathedralis quæ et a quibus sit observanda ac solvenda, ostenditur in sequentibus sacr. congregationis resolutionibus. In congregatione particulari supra cathedralicis pridem a sanctissimo D. N. deputata, quatuor ad instantiam fiscalis curiæ archiepiscopalis Firmanæ die 29 Apr. 1731, contra collegiatam Murri Vallis, propositis dubiis, nempe: « I. An beneficia, quæ sunt ad collationem capituli Firmani, præter solutionem census, quam ei facere solent, teneantur etiam solvere cathedralicum reverendissimo archiepiscopo? II. An capella et confraternitates laicales teneantur solvere cathedralicum? III. An cathedralicum jam in certa summa taxatum et solvi consuetum

potuerit augeri? IV. An augmentum hactenus exactum veniat restituendum? » Responsum fuit: « Ad I. *Affirmative*. Ad II. Capellanas et confraternitates laicales non teneri. Ad III. *Negative*. Ad IV. *Affirmative*. » Quatuor etiam aliis propositis contra collegiatam S. Elpidii, nimirum: « I. An capitulares et beneficiati S. Elpidii, quatenus habeant præbendas distinctas a massa communi, teneantur solvere cathedralicum pro qualibet eorum præbenda ultra cathedralicum in communi? II. An antiqua seu potius nova taxa cathedralicæ etiam quoad beneficia extra gremium dictæ collegiatæ, et loca pia dictæ Terræ sit exsequenda? III. An beneficia et loca pia de præterito non taxata pro cathedralico teneantur in posterum illud solvere: et ad ejus taxæ rationem? IV. An constet de attentatis? » Responsum fuit: « Ad I. *Negative*. Ad II. Antiquam taxam esse servandam. Ad III. Ad mentem, quæ fuit, ut servetur dispositio concilii Romani. Ad IV. *Negative*. » Ac deinde reposita causa die 5 Octobris ejusdem anni 1731 rescriptum fuit: « In decisis in omnibus, et amplius. » Et tandem in dicta cathedralici, die 24 Julii 1734 propositis hisce tribus dubiis: « I. An beneficia, quorum reditus non excedunt annua scuta 15 deductis operibus, teneantur solvere cathedralicum, et in qua summa in casu? II. An confraternitates erectæ auctoritate ordinaria, et habentes propriam ecclesiam teneantur solvere cathedralicum in casu? III. An ad solutionem cathedralicæ teneantur etiam confraternitates non habentes propriam ecclesiam, sed simplicem tantum capellam in honorem sanctorum, sub quorum titulo sunt erectæ in casu? » Responsum fuit: « Ad I et II. *Affirmative*. Ad III. *Negative*, et amplius. »

(14. Taxa Innocentiana est omnino servanda. Propositis enim inter alia duobus sequentibus dubiis: « XII. An constet de inobservantia taxæ Innocentianæ in Curia episcopali Alexani quoad collationem beneficiorum, ordinum et executionem dispensationum matrimonialium et quatenus *Affirmative*. XIII. An et quas pœnas incurrerint episcopus, ejusque officiales in casu, » etc. Sacra congregatio Concilii in *Alexanen.*, die 1 Septembr. 1742 respondit, ad XII et XIII: « Episcopus sedulo invigilet, ut taxa Innocentiana omnino servetur; et quoad præteritum consulat conscientiam suam. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(15. Possunt episcopi taxare stipendium, pro missis tum in synodo, tum extra synodum. Amostaz., *De causis piis*, lib. II, cap. 4, num. 6 et seq.; Romaguer., ad *Constit. synod. Gerund.*, lib. III, tit. 17, cap. 18, n. 6 et plur. seq.

(16. Nota tamen quod non possunt episcopi stipendium taxare *negative*, ut nec sit majus, nec minus, et ita ut libere non dari possit in quacunque quantitate, et libere in quacunque quantitate recipi. Passerin., *De stat. homin.*, quæst. 187, art. 4, a n. 394, et

maxime n. 397; Giballin., *De Simon.*, q. 17, consec. 7, n. 5.

(17. In taxando vero hoc stipendio attendendæ sunt circumstantiæ loci, et temporis, et qualitatis missarum, cum majus stipendium sit taxandum pro una missa, quam pro alia, nempe pro solemnibus ac cantata, quam pro non solemnibus. Confer præter allegatos Cortiad., dec. 244, n. 13, part. IV.

(18. Taxato ab episcopo stipendio, tenentur ad illud etiam laici, ita ut in foro possint conveniri. Tancredin., consult. 59, n. 24; Romaguer., ad *Constit. synod. Gerund.*, lib. III, tit. 17, c. 18, n. 10.

(19. A potestate sæculari taxari minime potest hoc stipendium. Amostaz., *De causis piis*, lib. II, cap. 4, n. 13; Cortiad., dec. 244, n. 13, part. IV.

(20. Num pro exsequiis et sepulturis sint debita aliqua emolumenta, possintque ea taxari ab episcopo, vide Romaguer., ad *Synod. Gerund.*, lib. III, tit. 19, cap. 4, n. 48,

TE DEUM LAUDAMUS.

CANTICUM.

(1. Magna de hujus canticæ auctore controversia est. Plerique, qui ad sæculum XVI scripsere, canticum hocce a S. Ambrosio cum Augustino, in hujus baptismo decantatum fuisse statuerunt. Verum id deinde magnæ auctoritatis scriptores negarunt. Ita Gavantus in recentiori Merati editione, t. II, parte I *Ad Rubricas Brev.*, sect. 5, cap. 19, ad rubric. 31, p. 362, in *Tex.*; Gavanti, n. 1, ubi censet esse solius Ambrosii, qui plurimos hymnos composuit. Accedit Merati in novis Dissertationibus, Observationibus, inquam, p. 363, a n. 1, qui n. 3, p. 374, suspicatur potius esse vel S. Hilarii Arelatensis, vel alienius monachi Lirinensis. Petrus Puricellus in *Dissertatione Nazariana*, cap. 69, n. 7 et 8, putat esse solius S. Ambrosii, quod etiam vult Martene ad cap. 2 *Regulæ S. Benedicti*, et ad eandem Regulam ibi Petrus Boerius et Thobias Lhoner, in *Instruct. practica de officio divino*, part. II, tit. 1, § 11. Hugo Menardus in Notis ad unctionem regum Francorum, tom. III Operum S. Gregorii, edit. Paris., pag. 585, nota 1083, negat compositum et decantatum in baptismo S. Augustini; de auctore nil definit, quod idem faciunt Paulus Bosca in Martyrologio ecclesiastico Mediolan. ad diem 14 Januarii in S. Datio. Mabillonius, tom. I *Analector.* et in *Dissertatione De azymo*, cap. 6, asserit rem esse dubiam, nec constare an sit illorum SS. doctorum. Grancolas, Comment. in *Breviar.*, lib. I, cap. 33; Muratorius, tom. IV, in Præfatione ad *Histor. Landulphi senioris*, De scriptoribus rerum Italicarum; Raynaudus, tom. XI tract. *De bonis ac malis libris*, partitione 1, erotemate 10, n. 189, pag. 270, et Cangius in *Glossario*, verbo *Hymnus Te Deum*, cum plurimis aliis ne-

(95) An. 540.

ubi an taxæ huic stare teneantur laici ac clerici, pariterque regulares exempti.

RESPONSIO AUCTORIS.

(21. Circa ea quæ hic adducuntur præsertim n. 16 recolendæ sunt, quæ jam tradidi ego in verb. *ELEEMOSYNA*, n. 63, nempe: « Eleemosyna pro unaquaque missa manuali non potest tradi minor uno julio. » Sic expresse statutum est de mandato Clementis XI, die 23 Decembris 1706, ut patet in ejus speciali *Bullario*, edicto XII. Et sic etiam statuit sacr. congr. conc. 18 Aprilis 1726. Unde episcopus statuere potest, ne sacerdotes recipiant quid minus eleemosyna taxata. Sacr. congr. Concil., in *S. Severini eleemosynæ missarum* 16 Julii 1697, et in *Alexanen.*, 26 Januarii 1743. Et ita habetur etiam in Notificatione super eleemosyna missæ edita a card. Lambertino, deinde Benedicto XIV, qui insuper plurima tradit ad rem in suo egregio Opere *De synodo diœces.*, lib. V, cap. 8, 9, et lib. XIII, cap. 25, merito ibi videnda et observanda.

gant referendum ad Ambrosium et Augustinum; sed cujus sit non statuunt. Card. Bona, lib. *De divina psalmodia*, cap. 16, § 12, n. 3, innuit ab aliquibus tributum cuidam Sisebuto monacho, sed ipse id rejicit; at hanc opinionem secutus est Natalis Alexander, tom. IV *Histor.* ad sæcul. IV, cap. 6, art. 27, n. 12, pag. 161, edit. Lucensis, sed illud rejicit Merati loco *supracitato*, n. 3, p. 373.

(2. Luculentam de hac controversia disputationem a doctissimo P. Fabio Davretta conscriptam edidit Romæ 1751. Cl. Emmanuel Azevedo in dec. suarum *Exercitationum Liturgicarum*, p. 190 seqq. Aliqua ex ea promemus.

(3. Ac primum in hujus canticæ antiquitatem § 11 inquit auctor (93): « Nullus, inquit, quod sciam, ante S. Cæsarium Arelatensem, hujus canticæ mentionem fecit. » Hic sectator institutorum monachorum Lirinensium, ut tradit Cyprianus, scriptor ejus *Vitæ*, lib. I, cap. 4 et 5, episcopatum suscepit circa annum 600, et obiisse creditur 643 ex Labbeo ad Bellarminum, *De scriptor. ecclesiast.* Ejus nepos Tetradius, vel Tetradius (seu Teridius apud Cæream) ex ore ejusdem regulam suscepit monachorum circa initium VI sæculi, de qua Hugo Menardus in *Concordia regularum S. Benedicti Ananias abb.*, pag. 59. In hac Regula, quæ habetur in codice Holsteniano regularum SS. PP., part. II, pag. 93, n. 21, præscribitur qualibet Dominica ad matutinas preces recitandum canticum *Te Deum*; eadem regula habetur n. 2, tom. XV *Biblioth.* edit. Paris.

(4. S. Benedictus post S. Cæsarium (94), idem canticum inseruit officio monastico ad finem matutini, ut patet ex ejus *Regula*, cap.

(94) An. 540.

11, ut in cod. Regul. Holsterii, et etiam in *Concordia S. Benedicti Ananias abbatis* cap. 23, in Append. 3, pag. 348. S. Benedictus, Pater monachorum Occidentis, natus creditur anno 480, defunctus circa 543. Lege Praefationem Mabillonii ad I tom. *Acta SS. Ordinis Benedictini*, num. 3, 26, 41, 59, suam regulam tradidit S. Mauro proficiente in Gallias circa annum 541, unde credimus eam scriptam anno 540.

(5. *Officium Mozarabum* laudatum fuit (95) et traditum recitandum toti Hispaniae in concilio Toletano IV cui praefuit anno 633 S. Isidorus Hispalensis, ut tradit Roblesius in *Vita card. Thomasi* pag. 117. At in eo officio praescribitur dicendum canticum *Te Deum* ad primam, ut ex eodem Roblesio, cap. 25, loco cit., apud Blanchinum, p. 119. Cumque S. Isidorus non credatur auctor, sed instaurator illius officii, patet canticum istud fuisse in usu apud Hispanos initio saeculi VII.

(6. Sed ejusdem mentio est apud scriptorem anonymum (96) monachum quemdam monasterii S. Germani Parisiensis episcopi sub duce Pippino, qui deinde anno 752 regnum Galliae suscepit. Scriptor hic tanquam sibi narratam a Carolo Magno scribit eam translationis historiam, facta utique ante annum 762. Et sic loquitur apud Suriam in VII tomo ad diem 25 Julii, pag. 596 paulo post medium: « Viso autem tanto miraculo, tam episcopi quam reliqui clerici, quam magna poterant voce, *Te Deum laudamus, Te Dominum confitemur*, praecedentes sanctum Feretrum, jubilate ceperunt. » Eadem leguntur apud Bollandianos tom. VI Maii, pag. 789 in fine, n. 5.

(7. Amalarius Fortunatus episc. Trevirensis (97), qui floruit circa annum 810, in sua Praefat. seu Prologo ad Antiphonarium, pag. 223, col. 1, apud Hittorpium de divinis officiis testatur in Ecclesia Romana decantatum fuisse hymnum hunc ad matutinas preces.

(8. Smaragus abbas, in celeberrimo *commentario in Regulas S. Benedicti*, ad c. 2 (98), vocat *hymnum hunc Ambrosianum*. Et hic primus est ex scriptoribus, qui indicium aliquod dederit auctoris, cui referatur hic hymnus, quod profecto non est contemnendum.

(9. Verum, caeteris omissis, audiamus Landulphum Seniore, qui saeculo X historiam scripsit a Muratorio vulgatam tom. IV *Scriptor. rer. Ital.* Is ergo lib. 1, cap. 9, ait: « Eodem tempore contigit, ut quidam sapiens, tamen errore Manichaeorum seductus, nomine Augustinus, argumentis dialecticae armatus, et postea Dei fidelis et catholicus vivens episcopus, cum in Ecclesia Hyemali non orationis curiositate, neque secundum causam utilem vivendi et audiendi Domini mysteria, sed reprehendendi gratia B. Ambrosium de incarnatione Domini ad populum invenisset tractantem et praedicantem :

(95) An. 600.

(96) An. 752.

oblitus sui et suorum omnium cogitationum, pallens et tremens omnibus qui erant, et videntibus obrigit. Quin etiam, finita admonitione, quam ad populum B. Ambrosius ministrabat, privatim ad eum Augustinus pervenit. At B. Ambrosius cogitans ejus scientiam, patefactaque ejus disciplina, quid in arte valeret, qualiter in fide catholica dissentiret, et per Spiritum sanctum cognoscens, qualiter fidelis et catholicus futurus esset, placidissime et multum charitative suscepit, etc. Tandem nutu divino non post multos dies, sicut multis videntibus et sibi consentientibus palam observaverat, sic in fontibus, qui beato Joanni ascribuntur, Deo opitulante, a beato Ambrosio, cunctis fidelibus hujus urbis astantibus et videntibus, in nomine sanctae et individuae Trinitatis baptizatus et confirmatus est. In quibus fontibus, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis: *Te Deum laudamus* decantantes, cunctis qui aderant audientibus et videntibus, simulque mirantibus, in posteris ediderunt, quod ab universa Ecclesia Catholica usque hodie tenetur et religiose decantatur, » etc.

(10. Scriptoribus, qui cantici meminerunt, addimus mss. codices, qui illud exhibent cum ascripto auctoris nomine. *Hymnus ad Matut. diebus Dominicis, quem S. Ambrosius et Augustinus condiderunt*. Ita alter Vaticanus n. 98. *Hymnus quem S. Ambrosius et S. Augustinus invicem condiderunt*. Ita codex Psalterii Palatinus n. 39, quem Carolus Magnus anno 772, Adriano I Summo Pontifici dono misit, qui postea ab Adriano eodem S. Willehado primo ecclesiae Bremensis episcopo de anno 778 donatus, in eadem ecclesia per octo et amplius saecula asservatus, nunc custoditur in Bibliotheca Caesarea, teste Lambeccio ad eandem Bibliothecam lib. II, cap. 5, pag. 294, post numerum 130, et notavit Merati ad Gavantum, tom. II, part. I, pag. 396, column. 2, et Mabillonius in *Dissert. de azyzo*, cap. 6.

(11. *Hymnus S. Ambrosii*. Ita duo codices Bibliothecae Casinensis n. 430, 535, quod Merati ad Gavantum tom. II, part. I, pag. 371, n. 11.

(12. *Hymnus S. Abundii*. Ita in breviario antiquissimo collegii Aniciani de urbe, de quo meminit Gavantus ad *Rubricas breviarii*, sect. 5, cap. 19, n. 1. Putat Thomasius citatus, legendum *S. Ambrosii*.

(13. *Hymnus S. Hilarii Pictaviensis*. Ita epistola Abbonis Floriacensis monachi, qui floruit circa annum 970. Fragmentum hujus epistolae, in quo id pro comperto asseritur, dant Maurini Patres in praefatione ad opera S. Hilarii, § 3, n. 21. Meminit etiam Vezzosi, in nota 6, pag. 343, tom. II operum card. Thomasi, et Natalis Alexander, tom. IV *Histor.*, pag. 161.

(14. *Hymnus S. Sisibuti*. Ita codex Basilicae Vaticanae n. 11, apud Thomasium, et

(97) An. 810.

(98) An. 816.

Bonam, *De divina psalmodia*, cap. 16, § 12, n. 3. *Hymnus Sisibuti monachi*. Ita in breviario Casinensi scripto sub Paschali II (id est intra annos 1099 et 1118) asservato in Bibliotheca Oratorii domini Jesu Parisiis ex Cangio, verbo *Hymnus Te Deum*, et apud Natalem Alexandrum, tom. IV, ad saeculum IV, cap. 6, art. 27, n. 12, pag. 161, et Meratum in *Commentario ad Gavantum* tom. II, part. I, pag. 373, n. 3.

(15. *Hymnus Nicetae*. Ita Psalterium Gallicanum apud Jacobum Usserium Armacanum in tractatu *De Symbol. com. Ecclesiae*; et Meratum, pag. 373, columna 2 in fine.

(16. Quod ad me attinet, statuo hymnum hunc non esse tribuendum *Nicetae*, vel *Sisibuto monacho*, ut fecit Natalis Alexander supra cit. § 1. Nam de his auctoribus altum silentium omnibus antiquis, et fides unius vel alterius codicis tanti non est, praecipue si nullo alio fulciatur adminiculo, ut movere nos debeat ad statuendum de re adeo incerta. Praeterea si Sisibuto iste sit monachus Benedictinus, assertum hujusmodi quo auctor hujus hymni propugnatur, sine manifesto anachronismo sustineri non potest, cum ante exortum Benedictini ordinis hymnus ille legatur apud S. Caesarium Arelatensem.

(17. Statuo secundo, ex nullo positivo fundamento constare esse S. Hilarii Arelatensis vel alicujus monachi Lirinensis: contra opinionem, quam suspicando proponit Meratus ad Gavantum tom. II, part. I, pag. 374, n. 3. Nam ubi mentio in codicibus, vel apud scriptores hujus Hilarii, dum agitur de hoc hymno? Circa monachos Lirinenses, quamvis non abuerim apud eos in divina psalmodia usum fuisse hujus hymni tempore S. Caesarii Arelatensis, qui eorundem instituta sectabatur, quique illius hymni meminit in sua Regula data Tetridio, uudenam colligere licet hymnum hunc exordium habuisse inter septa hujus monasterii, et non potius alibi jam usurpatum transiisse in consuetudinem etiam illius monasterii? In codicibus etiam saepe vocatur *hymnus sanctorum Patrum*, quod nomen non facile dixerim convenire hymno, cujus auctor fuerit unus vel alter privatus monachus, cum praecipue sciamus, antiquis temporibus non quaecunq; privati scriptoris, sed selecta tantum vel ex sacris Scripturis vel ex celeberrimis sanctorum virorum scriptis divinae psalmodiae inserta fuisse.

(18. Statuo tertio, multo minus illum tribuendum esse *Nicetae*, cum hujus asserti nulla sit probabilis, imo nec levissima conjectura; testimonium autem unius codicis nihil probat, cui perspecta sit amanuensium licentia, qua etiam dissimulata, potuit contingere, quod ecclesiae alicui, in qua forte moris non fuerat praedictum hymnum decantare, primum *Nicetas* ille decantandum attulerit aliunde, vel praescripserit, ex quo, *Nicetae* eidem in codicibus deinde illius Ecclesiae attributus fuerit.

(19. Statuo quarto, hymnum hunc primo non fuisse exaratum, nec alterno divino quodam aestro ex tempore decantatum, occasione baptismatis, a SS. Ambrosio et Augustino, ut asserit communis recentiorum sententia: at redditum ab Augustino, qui illi jam catechumenus assueverat, modulante etiam Ambrosio solemniter cum toto populo, facile et libenter credo. Primae negativae hujus asserti parti suffragantur graves scriptores, quos dedimus in § 1, et id solum nobis hic superest, nostram fundamentalem rationem asserre, cur eisdem subscribamus. Cum res ista, contrariis hinc inde rationibus, in contrarias partes a scriptoribus trahatur; facto proprio standum potius est testi omni exceptione majori de se scribenti, quam aliis monumentis incertis, si praesertim deprompta sint ex scriptoribus longe posterioribus. Regulae huic aequissimae critices, nemo, puto, refragabitur, cum ea etiam decantata sit in omnibus tribunalibus. At de suo baptismo ita scribit Augustinus ubique, et nullo modo credibile sit intervenisse eas circumstantias, quas assumit praedicta sententia pro eo hymno improviso instinctu decantato ab eodem Augustino et Ambrosio, igitur prudenter ab ea recedendum est.

(20. Patroni igitur vulgaris sententiae credunt Augustinum crebris et captiosis quaestionibus defatigantem Ambrosium; dum eum primo audivit sermocinantem de incarnatione Domini, ita subito ejus oratione percussus, ut tremens et pallens, vidente populo, obriguerit, admissum deinde in Ambrosii familiaritatem, post paucos dies solemniter baptizatum, ac subito impetu una cum Ambrosio alternatim praedictum hymnum eccinisse; ex quo deinde ille in morem universae Ecclesiae transierit. Ita rem narrat sermo 92 Ambrosio tributus, quique inscribitur *De Augustini baptismo*; et Landulphus Senior, sub nomine Datii Mediolanensis, cujus verba dedimus supra § 2, sub anno 1090. At narrationem istam fabulis scaterere redarguit ipsemet Augustinus testis omni exceptione major in facto proprio. Et primo Augustinum defatigasse Ambrosium salebrosis quaestionibus, cum primum Mediolanum advenit, omnino opponitur ei quod ipse narrat lib. *Confessionum* V, cap. 13, ubi et privata affabilitate Ambrosii, et ejus in dicendo dulcedine se captum asserit, et sensim per ejus verba, quibus in principio solum attendebat, illapsas ejus animo sententias in favorem Christianae religionis diserte confirmat cap. 11. Igitur ad fidem paulatim traductus est, non contentiose disputando, sed magna cum voluptate audiendo disserentem Ambrosium, et solventem aenigmata Scripturarum. Nullibi autem est illi mentio de sermone illo Incarnationis, quo audito, subito obriguerit, spectante populo, et fidem suscepit. Amorem Ambrosii erga Augustinum et ejus matrem Monicam, habes lib. VI *Confess.* cap. 1 et 2. Ex cap. vero 3 discimus Augustinum nullas privatas disputationes adeo cum Ambrosio habuisse, ut vix rarissime

sime potuerit ejus colloquio perfrui, illique animi sui fluctuationes exponere; ibi enim sic scribit: « Non enim quærere ab Ambrosio poteram, quod volebam, sicut volebam, secladentibus me ab ejus aure atque ore catervis negotiosorum hominum, quorum infirmitatibus serviebat. » Et paulo inferius n. 3: « Sed certe mihi nulla dabatur copia seiscitandi, quæ cupiebam, de tam sancto oraculo doctoris illius, nisi cum aliquid breviter esset audiendum; æstus autem illi mei otiosum eum valde, cui refunderentur, requirebant, nec unquam inveniebant. Et eum quidem in populo verbum veritatis recte tractantem omni die Dominico audiebam; et magis magisque mihi confirmabat omnes versutarum calumniarum modos, quos illi deceptores nostri adversus divinos libros innectebant, posse dissolvi. » Ubi hic privatae disputationes cum Ambrosio locum habere possunt, juxta supposititium sermonem ejusdem? Ubi primus (juxta relationem Landulphi sub Datii nomine) ab Augustino sermo de Incarnatione auditus in Ecclesia, in eoque subita animi mutatione et corporis rigore ad fidem statim traductus? Si post toties auditum Ambrosium emerit ex erroribus Manichæorum, et ut ipse fassus est matri suæ interea advenienti Mediolanum, ita illos respuit, ut nec Manichæus, nec Christianus esset, sicuti expresse narrat lib. vi, cap. 1, sed aliam sectam declinaret academicorum dubitando de omnibus, ut in lib. v, cap. ultim.

(21. At secundo Landulphiana narratio fallitur, ut eo quod asserit statim conversum ad fidem Augustinum audito eo sermone. Per quot ambages et circuitus S. doctor Christianam fidem susceperit, eodem resistente divinæ gratiæ, ipsemet testatur et deflet in libris *Confessionum*. Hoc didicisse sufficiat; cum anno 385, Bautone consule (cui Kalendis Januarii aperienti annum novum Augustinus Panegyrim Mediolani dixit, ut constat ex lib. iii *Contra epist. Petiliani*, cap. 25), ipse jam a paucis mensibus in eam civitatem professor rhetoricæ conductus fuisset; statimque Ambrosii concionibus declarari cœpisset, adhuc perpétuo æstu fluens et refluens, nonnisi anno 386 plene de fide suscipienda deliberavit; idque, non occasione sermonis Ambrosiani aut prodigiosi illius stuporis; sed lectione Epistolarum Pauli, prævia illa divinitus delapsa ad aures voce: *Tolle, lege*, ut fusius narrat lib. ix, cap. 2, atque hæc omnia contigisse anno 386 (id est fere uno integro ab auditis Ambrosii concionibus) invictè ostendunt accuratiores scriptores Vitæ S. Augustini, et card. Norisius in *Somniis*; Fr. Macedo, som. 32, pag. 1228, t. III *Oper.* edit. Veronen. Ex quibus etiam tertio falsitatis arguitur ea narratio Landulphiana, dum asserit *paucos post dies* ab auditu Ambrosio, aquis baptismatis ablutum Augustinum; melius dixisset *paucos post annos*. Nam baptizatus est anno 387, mense Aprilis in Sabbato sancto una cum filio Adeodato ex concubina suscepto atque amicissimo suo Alipio, ut constat

ex ix lib., cap. 6 *Confessionum*. Cum igitur in quæstione involvente factum proprium S. Augustini, habeamus rem totam aliter ab eo narratam ac tradunt monumenta, quibus adversarii omnes nituntur, nemo, nisi decipior, illis fidem adjungere poterit, quin aut erroris aut mendacii sanctum doctorem coarguat.

(22. Quisnam igitur auctor? Nullus certe potiore jure canticum hocce sibi vindicare potest, quam S. Ambrosius, cui passim ascribitur; modo statuam jam illud fuisse ab Ambrosio compositum atque in Mediolanensi Ecclesia jam decantatum fuisse, antequam de Augustini baptisate cogitaretur. Hanc sententiam, quæ Gavanti est, Petri Puricelli in *Dissertatione Nazariana*, cap. 39, num. 7 et 8, atque Edmundi Martene ad caput 2 *Regulæ S. Benedicti*, eo libentius amplectimur, quia aptissima est conciliare discrepantes auctorum opiniones, et si non in totum, magna ex parte tuetur communem persuasionem, quæ hymnum hunc Ambrosii et Augustini vult. Dato enim, quod ille, auctore Ambrosio, jam fuerit in usu apud ejus Ecclesiam, non difficile creditur decantatus potissimum fuisse occasione baptismatis celeberrimi illius, ex quo deinde profluxerit nomenclatura illa, quod alio nomine apud populum non audiret, quam *Hymni SS. Ambrosii et Augustini*.

(23. Ad hanc confirmandam sententiam præsto est Ambrosius ipse in oratione *De basilicis non tradendis*, ubi ait: « Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum ferunt Ariani. Plane ne hoc abnuo. Grande carmen istud est, quo nihil potentius quam confessio Trinitatis, quæ quotidie totius populi ore celebratur. Certatim omnes student fidem fateri, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum norunt versibus prædicare. » Fateor, hic Ambrosium universim loqui de suis hymnis; at si potissimum dixerò intendisse digitum in hymnum hunc *Te Deum*, præter auctoritatem doctissimi Puricelli, me non absurda loqui suadent 1° quod hic loquitur de expressa confessione Trinitatis; 2° de confessione, qua præcipue armarentur fideles contra Arianorum dolos, Filii divinitatem et perfectam æqualitatem cum Patre impugnantes; et 3° de confessione, quæ quotidie a populo decantaretur. Concedo plerosque alios Ambrosii hymnos in ultima strophâ habere breviter confessionem Trinitatis; fateor etiam eandem confessionem contineri in Ambrosii hymnis: *Jesu redemptor gentium, et Deus creator omnium et splendor paternæ gloriæ*; at nullus ex his inscribitur *Confessio Trinitatis*. Canticum vero *Te Deum* expressa est confessio; incipit enim *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur. Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia, Patrem immensæ majestatis. Venerandum tuum verum et unicum Filium* (vide quam apta sint contra negatam ab Ariani omousian Filii). *Sanctum quoque Paracletum Spiritum. Tu Patris sempiternus es Filius*: con-

tra eosdem Arianos, Filium factum in tempore docentes: *Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Patris*: en gloriæ æqualitatem in Filio, quem Ariani Patre minorem prædicabant. Item alios Ambrosii hymnos, qui offeruntur ad explicanda ejus verba, difficile suaderi potest quotidie a populo decantatos. At noster hymnus quotidianæ modulationi deputatus apparet. *Per singulos dies benedicimus te. Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire*. Igitur si quis verba Ambrosii perpendat, negare non potest, illis exprimi fusiorem aliquam Trinitatis et fidei confessionem quotidie a fidelibus recitatam; aut igitur hæc fuit Symbolum fidei; et hoc non patiuntur verba Ambrosii; aut hymnus iste, in quo summa quædam verba, inquam, Ambrosii; nam istud non objecissent Ariani tanquam canticum ipsius Ambrosii; aut hymnus iste in quo summa quædam deprehenditur confessionis fidei, præsertim circa Trinitatem et Incarnationis mysterium. Atque hinc factum ut in codicibus Vaticanis 52 et 85, apud Thomasium t. III *Oper.*, p. 64 inseribatur hoc canticum: *Hymnus in honorem S. Trinitatis*; et in aliis:

TEMERARIA PROPOSITIO.

Vide verb. PROPOSITIONES DAMNATÆ, num. 36.

TEMPERANTIA.

Vide verb. VIRTUS, num. 120.

TEMPLA GENTILIUM.

(1. In templis, festivitibus et sacrificiis gentilium seu infidelium prohibentur Christiani tibicinibus, musicis instrumentis aliisque modis operam ipsis præstare seu

inservire. Benedict. XIV, tom. I, constitut. 107 incip. *Omnium sollicitudinum*, ubi plurima alia ad rem merito observanda.

TERRITORIUM SEPARATUM.

(1. Territorium separatum importat jurisdictionem in clerum et populum, in ecclesiis et loca. Benedict. XIV, tom. I, constit. 76 incip. *Apostolicæ servitutis*, § 6. (2. Territorium autem separatum prælato inferiori competere non censetur in loco intra certam

diocesim existente, nisi constet de privilegio Apostolico aut de immemorabili consuetudine. Idem, tom. II, const. 33 incip. *Inter multa*. Territorii separati jura ex mera denominatione nullius diocesis non probantur. Idem, *ibidem*.

TERTIARIUM, TERTIARIE.

SUMMARIUM.

1-2. Tertiarii et tertiariæ habentes requisita constit. Leonis X et decreti generalis sacr. congreg. Episcop. et Regul. innovantis et confirmantis ad id decreta sacræ congreg. Concilii, gaudent privilegiis, quibus gaudent Fratres ordinis, ejus Tertiariæ Regulæ habitum gestant. — 3. Assignantur requisita ex constit. Leonis X. — 4. Ex supra assignatis requisitis soli illi Tertiarii viri gaudent privilegio sui ordinis, et exemptione ab ordinarii jurisdictione, qui collegialiter vivunt aut cum claustralibus habitant. — 5. Item solæ illæ Tertiariæ mulieres gaudent dictis privilegiis et exemptione, quæ virginalem seu cælibem, aut castam vidualem vitam ducunt in domibus suis, aut suorum consanguineorum vel affinium, facto prius voto simplici in manu sui superioris de servando vitam cælibem, aut castitatem vidualem sub habitu et regula proprii ordinis; non autem ad id requiritur quod di-

ctæ Tertiariæ collegialiter, ut Tertiarii, vivant aut claustralibus habitent. — 6. Ut prædictæ Tertiariæ gaudeant omnibus privilegiis sui ordinis, et exemptione ab ordinarii jurisdictione, requiritur etiam quod a superioribus regularibus admittantur ad habitum de expressa licentia ordinarii, et sint in ætate xl annorum, probatæ vitæ ac bonis moribus præditæ, et habeant de proprio, unde sufficienter vivere possint, et non cum aliis viris, quam cum consanguineis vel affinibus in primo tantum gradu sibi conjunctis cohabitent. — 7. An autem prædictæ qualitates in hujusmodi Tertiariis concurrant, spectat ad ordinarium loci id declarare. — 8. Affertur ad id propria formula. — 9. An si omnia supra dicta requisita in allato decreto non servantur, professio sit nulla. — 10. Tertiariæ habentes prædicta requisita gaudent privilegio fori et exemptionis a gabellis. — 11. Unde ipsæ conveniri debent coram conservatore illius ordinis, cujus habitum deferunt. — 12. Item Tertiariæ habentes dicta requisita gau-

Hymnus SS. PP. in honorem S. Trinitatis, aut Confessio fidei.

(24. At, inquit cum Raynaudo et Merato, Ambrosius hic loquitur de hymnis constantibus versibus, carmine, etc., adeoque metricis; at hujusmodi non est canticum istud, igitur ad illud ejus verba referri non possunt. At prudenti cuique in verbis Ambrosii faciendâ magis vis est in eo, quod scribit de *confessione Trinitatis et quotidie decantata*, quam in vocibus *hymni, versus, carminis*, etc. Nemo enim est qui ignoret his nominibus sæpe vocari Psalmos ipsos, sequentias; Symbolum ipsum fidei, quæ omnia metro non constant, atque hic idem noster canticus et in plerisque codicibus, et ab auctoribus vocatur *hymnus*. Quidquid igitur alternatim canendo dicebatur in *Divina psalmodia, hymnus, canticum, carmen* vocalum reperitur: *Gloria in excelsis Deo, Doxologia Gloria Patri*, etc., *Trisagion Sanctus Deus*, passim dicuntur: *Hymnus angelicus, Glorificationis hymnus*, etc. S. Augustinus in psalmum cxlviii: *Hymnus scitis quid est? Cantus est cum laude Dei. Si laudas Deum, et non cantas, non dicis hymnum.*